

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. CLAUDIO-FRANCISCO GRANDCLAS,
Equite, Stanislai I. Poloniarum Regis olim Consiliario Medico, & Regiorum Exercituum à Consiliis Medicis, Doctore Medico, Præside.

Utrùm in praxi Medicâ dierum criticorum Doctrinæ nimis fidere Periculosum?

I.



UM primis ævi temporibus ignorantia duro premeret orbem dominio, solaque ad ægrorum curationem instituendam conduceret præteritorum memoria, nulla signorum morbos præsagientium, nulla quoque crisium, nec dierum criticorum mentio habebatur. Quos felix casus edocuerat, ii varia misero decumbenti propinabant remedia, prout suus quemque ritus, sua quemque cæca rapiebat consuetudo. *Multi tunc temporis erant nomine Medici* (*a*), *re verò paucissimi*. Primus Hippocrates præteritorûm observationi ratiocinium adjunxit, & ex variorum phænomênon comparatione, medicam artem in scientiæ normam digessit; naturam presso sequens pede, fugientem labore

(*a*) Hippoc. jusjurand.

improbo affecutus eft, eòque tandem pervenit ut fuam de diebus criticis Doctrinam aftrueret : fic juxtà eum (*b*), natura morbum, fi foret debellandus, feptenis diebus, quaternâ indicante fuperabat, & humorum fordibus per nares, per veficam, per cutem, per uterum, per alvum, quâ viâ patet, aufugientibus crifim conficiebat. Suà etiam erat morborum chronicorum crifis (*c*) fuus dies criticus. Si verò naturam fuperaret humor, aliis diebus potius fymptomata quàm crifes obfervabantur, reclufis poris & inconcocto humore tumores hinc indè, ub metaftafium nomine, confurgebant. Quidam autem interquos eminet Galenus, barbarâ dierum *radicalium*, *internunciorum*, *intercalarium* nomenclaturâ, ad confufionem fortè quàm ad elucidationem aptiori Doctrinam hanc oneravêre. Nos autem Hippocratis obfequiofi monitis, monftratamque fectantes experientiæ viam ulteriùs progrediendum effe contendimus.

(*b*) Hippoc. de affect. b.

(*c*) Quæftio Medic. ann. 17.. An fui fint Morbi chronici motus critici?

I I.

REGULAM, ac legem noviffe non fatis eft : cùm exceptiones fint numero quàm plurimæ, jam regula à multis falfa inveniri poffet. Si autem locum ferè nullum habeat ; quis fanæ mentis eam admittet ? Quidquid increpent Ballonius (*d*), Baglivius (*e*), aliique obfervatores Medici, dierum criticorum mutationem venæ fectionibus, purgationibus, aliifque medicamentis ab arte inventis affignantes : notavêre alii haud inferioris notæ, ut Walchfmidt, Fienus &c. non idem de omnibus ferendum effe judicium. Pro ætheris variatione, inquit Walchfmidt (*f*) debet mutari crifium tempus. In græciâ, quæ fuit Hippocratis natale folum, perfectè crifes fuccedebant ; quid mirum ? nùm eadem in noftris occidentalibus fimul & feptentrionalibus regionibus aëris puritas, tenuitas & elafticitas ? nonne contrà nofter aqueis, craffifque aër contaminatur impuritatibus ? undè tot ubique tam diverfi, præcipuè verò catharrales, exoriuntur morbi. *Si regio calida fit & ficca*, ait Fienus (*g*), *qualis græcia, in eâ crifes maxime fieri natæ funt ; in Belgio autem & germaniâ multò rariores funt quàm in Italiâ & Hifpaniâ . . . adeò, ut nobis continuò praxim exercentibus rarum fit perfectas, ac legitimas crifes animadvertere.* Ipfe verò nos monet Hippocrates (*h*) ad tempeftatum conftitutionem attendendum effe : in quietis & conftantibus temporibus boni ftatûs ac judicatu facillimos fieri ; in inconftantibus verò inconftantes morbos ac difficilis judicationis. Si igitur, ut plerumque fit, anni tempora à naturali fuâ indole deflectant, jam dierum criticorum ordo pervertitur ; crifes, aut retardantur, aut adeò tenues funt ut medicum fugiant ; nec levem infuper mutationem importat ætatum, fexûum, uno verbo uniufcujufque idiofyncrafiæ differentia : quibus probè cognitis ; quis tam eximii, tamque perfpicacis erit ingenii, ut tot ac tantas complectatur mutationes, tot difcrimina fimul comparet, & demùm certam fibi de diebus criticis regulam ftabilire audeat ? Vanâ delufus veritatis imagine mox errorem agnofcet, & à tritâ priùs viâ deflectere properabit.

(*d*) Ball. oper. tom. I.

(*e*) De dieb. critic.

(*f*) Inftitut. Med. tom. I. pag. 49.

(*g*) De finibus pag. 131.

(*h*) Epidem. Sect. II. pag. 20.

I I I.

NATURA ex dictis fæpiùs à ftatuto dierum criticorum ordine aberrat : efto tamen nunquam illa deviet : Nùm indè citò, tutò, & jucundè morbum perageret ægrotus infelix ? Acerba pleuritidis affectio fibi relicta per dies forfitan quatuordecim inter fummos cruciatus anhelum laceffabit ægrum ; fi, primis morbi diebus humorem delicatiffimas plevræ fibras vellicantem per cutis poros, naturâ monftrante viam, eliminare fuadeat ratio : quis inter Medicos adeò crudeliter artis ftatutæ

legibus inhæreat, ut ejulanti ægroto deneget, seu potum, seu topicum, cujus ope morbus sævis stipatus doloribus, mox, licet reluctante communi Theoriâ, evanescet? Quin etiam febris maligna aut per se, aut arte imperitâ infaustoque parata casu sibi relicta, octoginta interdùm & centum dierum spatio, ancipiti mortis & vitæ eventu ægrum lecto retinebit; at venenum propinato alexipharmaco repelle, mox aufugiet morbus, & crisim longinquam eludet. quis tam cito sananti inviderit? Nùm vero tutius erit suas morbo vires relinquere; *serò medicina paratur, cum mala per longas invaluêre moras*: *crises*, inquit galenicæ expurgator medicinæ Helmontius (*i*), *bonus Medicus negligere debet, quia anticipare: nam natura crisim non facit, nisi dum sola totum onus bajulat statis diebus: verus ergò Medicus ante crisim morbum expectare debet, ideòque nec crisim expectat, nec optat; infidus autem postergatâ naturæ intentione, crisim vel impedit, vel dilatat.* Hæc de faustis crisibus. Si verò morbus lethalem induat criseos indolem; Quæ jam salutis spes superrerit? Quæ tam pravæ ergà morbum indulgentiæ colligetur utilitas? Nùm denique jucunda hæc medicina? De ægroto-ne benè meretur medicus semper in dies expectans, nullumque ei solatium aliud offerens nisi prædictiones & verba: Utinam illud salutiferum! non-ne hic æger artem objurgabit medicinam, quæ manca & prorsùs iners esset, & in inutili fastidiosâque mortis contemplatione versaretur.

(*i*) Helmont. de feb. b. cap. XI.

I V.

QUID igitur officii Medico juvabit assignare? nonne multùm interest crises mente prævertere, ne in suo natura molimine perturbetur? eam pedetentim sequatur & adjuvet. Quo igitur indicio, si toties, nostris præsertim regionibus, fallax & exitiosa reperiatur dierum criticorum doctrina, crisim jàm jam adventantem prospicies? interroga ipsum dierum prædicatorem Galenum (*k*) qui triplex crisium signum agnoscit, excrementorum, sputaminum, & urinarum, securioris etiam oblitus, pulsûs scilicet: quamvis enim ille pulsûs scientiam probè calleret, nondum tamen hanc ad ultimum perfectionis gradum adduxerat. Nostri erat ævi scientiæ hujus limites eò proferre, ut, tentante pulsum digito, Medicus crisim futuram securè magis pronuntiaret; mox expectanda narium hæmorrhagia, mox per alvum, per urinas, per uterum prorumpet nociva morbi materies, aut sudor innocuus toto manabit corpore, aut denique morbum expuet ore pleuriticus. Nùm indecora hæc vaticinandi methodus? Nùm hìc arithmetici laus est, aut Medici & quidem eximii? Absit igitur animus Pithagoricis insistere numeris; aut si mens fuerit veterum decreta de iis explorare, his veluti pulsûum adminiculis utere, nec jam in errorem dierum criticorum incides, omnemque eis ascriptam reportabis utilitatem. Si, instante morbo, eum fore difficilem judicaveris, noli tempus terere, præcipitem siste occasionem: causam subitò aggredere, & naturam illicò & scitè corrobora, præsentaneumque ægroto, dum tempus est, præbe auxilium. Si verò certa tibi sint salutis indicia, fas erit Hippocraticæ expectationi, ac prædictionibus indulgere; fortassis etiam citius tunc non esset tutius; quòd si utrumque & *citum* & *tutum* sine ullo periculo possint conciliari eo meliùs ægroto profuerit, eò securiùs quæsitâ peritiæ tuæ laude potieris.

(*k*) Galen. de crisib. liv. 1. ch. 14.

V.

AT forsan insurget doctrinæ Hippocraticæ asseclarum turba, qui naturæ se veros ac solos ministros esse rati è Medicinâ cæteros quasi naturæ oppressores deturbabunt. Sed quid per naturam intelligunt? Est natura morbos

efformans, adaugens ad mortem certo quodam ordine deducens : est contrà natura vitæ ac sanitati invigilans ; & sic natura naturam opprimit. alio etiam sensu quidam naturam interpretantur, dùm spontaneis affectibus, qualescumque sint, otiosi inhiant. Hippocrates verò (*l*), quo loco Medicum contendit naturæ se ministrum præstare, sanè naturam intelligebat morborum medicatricem. Ii autem qui Medicum jubent inertem, morbi eventus e pectare, sæpè naturam morbi audiunt ; hanc scilicet in officio suo perturbari religiosè prohibent. Hæccine est Medicorum provincia ? Dùm hostis improbus tùm insidiis, tùm apertâ vi naturam lacessit ; nullis ne igitur aliis armis penè succumbenti possunt auxiliari quàm solo certaminis aspectu ? Si naturam agentem stupentes semper demirentur, & eam se ipsis peritiorem fateantur tepidi, bene sit : ignarum plus decet prudentia quàm temeritas. Si vero virium naturæ, ut Medicorum est, conscii, illam interdùm mancam ac lentiorem agnoverint, cùm mora non tuta sit, totis ad curationem promovendam incumbent viribus ; neglecto dierum ordine, aptioribus sanitatem revocabunt modis, & pristinæ doctrinæ immemores certiori experientiâ freti concludent :

(*l*) Epid. VI, Sect. V.

Ergò in praxi Medicâ dierum criticorum doctrinæ nimis fidere Periculosum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bartholomæus-Petrus DELANOUE, *Eques, in Supremo Senatu Patronus.*

M. Josephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Carolus-Franciscus THEROULDE DE VALLUN, *Eques.*

M. Benjaminus-Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU.

M. Anna-Carolus LORRY.

M. Claudius DE LA FISSE.

M. Joannes-Baptista-Michael BUCQUET.

M. Bernardus-Nicolaus BERTRAND.

Proponebat Parisiis HENRICUS-JOANNES BAGET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1771.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1771.